

### 1.3.6

*Imppp. Valens Gratianus et Valentinianus AAA. ad Cataphronium*

Presbyteros diaconos subdiaconos  
atque exorcistas et lectores, ostiarios etiam personalium  
munerum expertes esse praecipimus.

*D. III non. Mart. Gratiano A. IIII et Merobaude cons. [a. 377]*

### 1.3.7

*Pars actorum habitorum in sacro consistorio  
apud imperatores Gratianum Valentinianum et Theodosium  
consulatu, Syagrii et Eucherii virorum clarissimorum die IIII k. lul. Constantinopoli.*

*Imp. Theodosius A. dixit:*

Nec honore nec legibus episcopus  
ad testimonium flagitatur.

*Item dixit:* episcopum ad testimonium dicendum admitti non decet:  
nam et persona oneratur et dignitas sacerdotis excepta confunditur.

*[a. 381]*

### 1.3.8

*Idem AAA. Paulino praefecto Augustali*

Presbyteri citra iniuriam quaestionis testimonium dicant,  
ita tamen, ut falsa non simulent. ceteri vero clerici,  
qui eorum gradum vel ordinem sequuntur, si  
ad testimonium dicendum petiti fuerint, prout leges  
praecipunt, audiantur.

¶ Salva tamen sit litigatoribus  
falsi actio, si forte presbyteri, qui sub nomine  
superioris loci testimonium dicere citra aliquam corporalem  
iniuriam sunt praecepti, hoc ipso, quod  
nihil metuant, vera suppresserint. multo magis etenim  
poena sunt digni, quibus cum plurimum honoris  
per nostram iussionem delatum est, occulto inveniuntur  
in crimine.

*D. VIII k. Aug. Arcadio A. et Bautone cons. [a. 385]*